



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VII. Piscarius Tridentum reuersus. Eius postulata, præsertim de Continuatione declaranda. Ea Regi promissa à Legatis per litteras Aualo traditas. Mora à Cæsareis petita, vt Cæsarem de re ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

iores suos imitaretur, qui probè intellexerant, ipsorum partes esse obsequi ac patrocinari Conciliis, non ea regere, nec turbare. Principè verò proximum esse inuictissimi parentis exemplum, qui dum Tridenti Concilium habebatur, noluerat umquam manum illi admouere, nisi in ope ferenda quò feliciter procederet; & semel, cum ipse recto animo cuperet ut quædam stabilita Decreta retardarentur ad reducendos aberrantes, id per quamdam (quod ipsi laudi vertatur) reuerentiæ rationem effecerat. Eodem regnante Carolo positas fuisse in Decreto eas voces, *Proponentibus Legatis*, non prius vsitatas; & tamen eum non modò illis non obstiterit, sed fauissè, tametsi fremerent hæretici in Ecclesiam contumaciùs. Legatos itaque ab ipso par patrocinium petere, quod Aualus ipsius nomine sponderat Synodo, & cuius gratiâ liceret Regi diuinum sibi patrocinium sperare ad omnem sui diadematis prosperitatem.

10 Ad explendum historicæ veritatis officium, cuius est non solum nihil simulare, sed nihil dissimulare, sincerè animaduerrere oportet, quemadmodum allatarum responsionum medulla nihil discrepat à vero, ita postremis hisce exemplis modicum inesse robur. Etenim atate Pauli III. voces illæ, *Proponentibus Legatis*, propugnatae ac retentæ fuerant à Ceruino, repertis illarum vestigiis non contemnendis in Synodis antea actis. Et cum Carolus aut diu instituit ut tardè procederet dogmatum decisio, aut minatus est cui-cumque translationem molienti, perquam molestè id ferebatur, & de ipso plurimæ auditæ sunt querimonie. Sed hominum mos est, mortuos commendare, & de viuentibus conqueri; idque genus quoddam artis est, imitantis amabilem quamdam naturæ dotem, quæ ut nos efficiat bonos, maiores nostros expingit meliores.

g Vide lib. 6. cap. 12.

C A P V T VII.

Piscarius Tridentum reuersus. Eius postulata, præsertim de Continuatione declaranda. Ea Regi promissa à Legatis per litteras Aualo traditas. Mora à Cesareis petita, ut Casarem de re commonerent. Sessio tertia, seu decima nona, habita cum prorogatione Decretorum. Varia Suavis errata, & commenta.

1 **L**egatorum molestia ob Philippi Regis querelas, mitigata ex parte accessu Piscarij Mediolano redeuntis, qui quadriduo ante Sessionem indictam peruenit, & sensa valdè moderata deprompsit. Quod primo loco postulauit, fuit ne mutaretur Index li-

æ Litteræ Borromæi ad Legatos, 11. Maij 1562.

1562.

brorum, ab Inquisitione Hispanica confectus, quod ad ea regna spectabat; neque concederetur veniendi securitas illius Inquisitionis reis. In utroque Legati significarunt, opus non esse nouo ipsius postulato, cum iam in Regis gratiam ipsi sanctionem antuerunt.

Aliunde iisdem compertum fuit, illum recusasse Hispanis Episcopis adherere in ipsorum postulatione tam feruida, quod mansio- nis obligatio declararetur; idque Legatis supra modum placuit. Etenim tametsi nondum exceperant litteras à Pontifice, traditas Pendasio, nihilominus ex aliis, quæ celerius Româ peruenerant, de mente Pontificis certi erant; quâ ipsis iniungebatur, ut quando Pa- tres de illo articulo adeò dissidebant & contendebant, cumque in quibusdam conspicerentur indicia moliminum, quibus per eam declarationem deducerent consecutiones Apostolicæ Sedi perniciosas, daretur opera, quantum per modos mitiores, Synodique libertatem liceret, ut in aliud tempus illius tractatio reiiceretur, donec æmulatione restinctâ, tranquilliori ratione, animoque sincero- ri res decerneretur. Quod arbitrabantur Legati se perfecturos, re- positâ sanctione articuli, cum postea dogmatum examen habendum erat de Ordinis Sacramento, ad quod spectabat propria tractatio ordinis Episcoporum, & ligaminum, quæ cum eo copulan- tur: nec desperabant, eam se moram pacificè impetraturos, dum- modo præpotentis auctoritatis valida calcaria, sibi latus urgentia, non haberent, cuiusmodi fuisset Catholici Regis per Oratorem auctoritas.

Nec prætermiserunt Hispanienses Episcopi toto perfare spiritu, ad Aualum suis ardoribus inflammandum. Sed is cum vel Me- diolani insurratum sibi fuisset, hanc definitionem noxiam Regi futuram^b, cui multò minùs licuisset in posterum Episcopos è suis sedibus euocare, percontatus ea de re fuerat Martinum Aualam Episcopum Segouensem, qui aliàs interuenerat Synodo, Aciensis tunc Antistes, & doctum librum ediderat de Traditionibus. Hic liberè fassus illi fuerat, id verum esse; nihilominus eiusmodi se sententiæ fuisse, quoniam cum ab Hispania proficiscebatur, denun- tiarat, nullam à se in Concilio rationem habitum iri regiæ utilitatis. Quare cum Orator Tridentum peruenisset hisce sentibus imbu- tus, faciliores præbuit aures admonitionibus, quibus conatus est Oratorem præoccupare Simonetta, Regis subditus, & Mediolani natus. Hic ob oculos illi posuit, per eam definitionem imminutum iri Sedis Apostolicæ potestatem, in quam hæretici vnicè collima- bant;

† Ex epistola
Simonetta
ad Borro-
mæum,
14. Maij
1562.

bant; imò potiùs non vnice, cùm in regiam æquè potestatem machinam molirentur, quemadmodum in Germania & Gallia cernebatur. Indignum planè videri, quod à duobus Hispanicis Episcopis Parisiensis in fœdus adductus fuerit ad hanc expeditionem, tametsi ex ipsis alij fuissent id detestati, cuiusmodi fuerat Salmanticensis.

3 His itaque persuasionibus quasi humescens Orator, ineptus euasit ad ignem concipiendum ex accensis cohortationibus complurium suæ nationis Episcoporum. Sed non modica supererat Legatis difficultas, ab eo iniecta de Continuatione declaranda: in id omnes ille neruos intenderat, cùm ipsam non solum vellet exercitam re, sed verbis expressam, quæ in præsentia operibus efficaciora censebat, & promissis nequaquam acquiescebat, quin Tridentum venerat pollicitationum antecedentium, quæ iam maturauerant, solutionem accepturus. Et quò res esset firmior, postulabat, vt leges quoque de disciplina, latæ in Pauli ac Iulij Synodo, per captam postea opportunitatem in præsentia disertè confirmarentur. Huic postremo postulato, quippe longinquiori, facile consenserunt Legati: sed simul Oratori ostenderunt, par non esse, vt Continuatio declararetur in ea Sessione, quæ re ipsa non nisi prorogatio ad alium diem futura erat. Petiit tunc Orator, quòd & concessum est, vt saltem reponerentur in Decreto voces, quas Cæsarianis postulantis abrasas esse iam diximus; & onus suscepit illos sedandi: sed frustra suscepit, cùm illi constanter repugnarent cuius dicendi formulæ Continuationem indicanti.

4 Denique in eo conuenere Legati, vt in Sessione omitteretur memorata particula: sed ex altera parte (quemadmodum efflagitabat Aualus) Legati suam fidem obstringerent in litteris, quas ipsi ad Regem scriberent, & Oratori traderent, ad eam declarationem in Sessione, quæ subsequeretur, habendam. Quod à Legatis negari non poterat, posito iam superiori promisso, tum ipsorum, tum Pontificis, & tam diuturno tempore, quo ipsa rei executio incassum dilata fuerat in gratiam Cæsaris, ad hæreticos Germaniæ præstolandos. Huiusce nouæ promissionis voluerunt Præsides vt Cæsariani quoque fierent conscij, patefactâ ipsis necessitate rationum, quò Philippo Regi satisfaceret. Hi verò in his angustiis eam certè dilationem petiere, quâ possent rem enatam per cursorem significare Ferdinando, eiusque responsum accipere. Quapropter constitutum est, vt futura Sessio non celebraretur 21. Maij, sicuti designatum fuerat, sed quarto Junij: & pro Sessione indicta

14. Maij

1562. 14. Maij conflatum est à Paleotto Decretum profus ieiunium, quo dicebatur, Patres honestis de causis statuisse ad quartum diem Iunij Sessionem differre, in qua decretae sanctiones promulgarentur: interim verò Deum precari, vt ipsorum animos aurâ sui Spiritus sic afflaret, vt quod in ipsius gloriam eederet, perficeretur.

Habita igitur est 14. Maij Sessio tertia, seu decima nona. Sacrificium ad aras obtulit Truigianus Venerus Patriarcha; è suggestu latinè dixit Beroaldus Episcopus S. Agathæ. Excepta sunt mandata Oratoris Hispanici ac Florentini, & Episcopi Canadiensis & Titiniensis, Pannonici Cleri nomine, seruato aduentus, non dignitatis ordine.

Hic recensenda congesti iuncta simul breuitatis gratiâ errata 6 Suavis, & calumnias de rebus hac tempestate gestis; his tamen prætermillis, quæ ille comminiscitur, ac disputat de iam memoratis emendationis articulis, per eos cætus expensis: siquidem de hoc argumento in animo mihi est differere, cum promulgationem referam postea habitam earum legum, quæ tunc designabantur.

Oratione itaque ad reliquos illius errores relictâ, initium ducam non ab eo qui grauius est ex argumento, sed qui patet facit hominem imperitissimum eorum, quæ publicè contigerunt: cum exceptio nulla sit, quæ validius testem labefactet, quam quæ rerum, quas ille testatur, ipsum nescium demonstrat. Dicit, in ea Sessione Oratores Heluetiorum exceptos fuisse: ac oppositum non modò certum, sed notorium fit ab actis, à litteris Oratoris Florentini ad Cosmum, eodem die conscriptis, à Diario, & à monumentis quotquot supersunt aut illius solemnem actionis, aut etiam Sessionis, quarto die Iunij subsecutæ, in qua re ipsa Heluetij excepti sunt.

Affirmat, publicum Bauarici accessum protractum fuisse, quoniam à Legatis spatium captum est, quo moneretur Pontifex de orta inter ipsum & Venetum æmulatione: & tamen nihil studiosius Legati semper cauerunt, quod in ipsis fuit, quàm ne Pontificium nomen hisce nexibus implicarent; quorum solutio poterat interdum dissidij necessitatem afferre. Vera igitur cunctationis causa fuit ea quam memorauimus; ac postea cum Ducis responsio Legatos adigit vt confugerent ad Pontificem, ipsius auctoritatem adhibuerunt non tamquam decidentis; sed tamquam impetrantis apud Cæsarem, tum apud Bauariæ Ducem, quod suo tempore narrabimus.

Refert, Patres obstrepuisse in conuentu, quòd in ea Sessione man-

8
sionis

tionis negotium non declararetur. Id minimè verum fuit, quin 1562.
 minimè fieri potuit, quandoquidem ex mandato conuentus fue-
 rat rogatus Pontifex sententiam suam, nec redditum ab eò respon-
 sum audiebatur.

9 Scribit, Oratores Cæsareos denuntiasse, se confestim discessu-
 ros, si Concilium declararetur Continuatio; & Cæsarem in Germa-
 nia fuisse pollicitum, nequaquam illud eiusmodi fore, sed nouam
 celebrationem. Vtrumque falsum: etenim ne vestigium quidem
 huiusce denuntiationis eo tempore reperitur siue in litteris Legato-
 rum ad Borromæum, siue in iis quas Orator Florentinus ad Du-
 cem scripsit, siue in aliis legitimis monumentis; nec mandata Cæ-
 sari ea de re prius peruenere, quàm 26. die Maij, per litteras signa-
 tas die 22.º neque per ea mandata iubebantur Oratores Tridento
 discedere, sed à functionibus abesse. Nec denique poterat Cæsar
 spondisse id quod pernoscebat à se præstari non posse, & aduer-
 sum quàm Pontifex toties ipsi per suos Nuntios libellosque declara-
 uerat, quemadmodum in hoc volumine perspicuum est.

Constat ex
 litterarum
 volumine,
 quod alio
 loco citabi-
 tur.

10 Narrat, Aualum, commotum profectioe, quam Cæsariani mi-
 nabantur vbi Continuatio declararetur, & cohortationibus Man-
 tuani, frigidius se gessisse in ea declaratione postulanda: at omnino
 contrarie se res habuit. Aualus siquidem à Legatis promissum postu-
 lauit, ab ipsis ad Regem scriptum, sibi traditum, & Cæsarianis
 ostensum, quo sponderetur Continuationem in propinqua Sessione
 declaratum iri.

11 Ait, opportunè Lansaci litteras aduenisse, postulantes Sessionis
 prorogationem, quò Mantuanus, cupidus gratificandi Cæsaria-
 nis, illis vreretur ad eam prorogationem proponendam. Anacro-
 nismi plusquam poëtici, cum Poëtis permittantur in rebus vetustis;
 sed Suauis in recentibus illos fidenter vsurpat. Lansaci litteræ pe-
 uenerant, & idcirco decreta fuerat prorogatio postremo die Apri-
 lis; adeoque decem diebus antequam rediret Aualus, promeretque
 postulata Cæsarianis molesta, cum ille nonnisi die decimo Maij
 Tridentum peruenerit^d.

d Ex litteris
 Legatorum,
 & Oratoris
 Florentini, &
 ex Diatio.

12 Hi omnes non malignitatis sed temeritatis sunt lapsus, vt qui
 nihil causæ per se intererent: sed existimauit Suauis interesse causæ,
 quòd ipse rerum gestarum peritissimus crederetur; suisque conie-
 cturis ausus est ea supplere, in quibus aliorum monumenta sibi de-
 erant, qui mos in ipsius opere perpetuus fuit. Et hîc mihi libet ali-
 qua eiusmodi delibanda lectori promere, quæ narrata prius argu-
 menta suppeditant.

1562.

Comperit ille, Oratores Heluetios ante Sessionem narratam ad-
uenisse; & hinc non tamquam verisimile, sed tamquam à se com-
pertum affirmavit, in ea fuisse illos exceptos. Quod non euenit,
dato ab ipsis, in gratiam Legatorum*, loco solemniter accessui Flo-
rentini, cuius procuratoris litteræ ante litteras Heluetiorum reci-
tandæ erant propter antecedentem illius aduentum, quique eam
urbanitatem ab Heluetiis merebatur, ne loci æmulationem eo die
secum inirent, quando eius Princeps indulserat, ut ipse in reliquis
functionibus & præteritis & futuris liberum illis campum con-
cederet.

* Litteræ
Mutinensis
Episcopi ad
Moronum,
& Iadrensis
Archiepisco-
pi ad Cor-
nelium Car-
din. scriptæ;
14. Maij
1562.

Compertum Suavi fuerat, homines à Duce Bauariæ delegatos¹⁴
superfedis ingressu ante Patrum conspectum, ob controuersiam
cum Venetis; & ratus est cunctationem accidisse, quod Legati
mandata Pontificis opperirentur, & audacter scribere non est ve-
ritus tamquam indubitatum id quod falsum erat.

Legit, Episcopos restitisse dilationi capitis de mansione; & hinc¹⁵
non modò concepit animo, sed ausus est affirmare, huiusmodi re-
pugnantiam in eo sitam fuisse, quòd ipsi vellent eius Decretum in
prima Sessione; cum reuerà per eam Episcopi aduersati fuerint con-
silio Præsidentum, de quo diximus, studentium illud argumentum
transferre ad Sacramentum Ordinis: vnde qui^f declarationem ar-
ticuli cupiebant, in animum induxerant, eos velle potius sepelire
negotium quàm transferre.

f Responsum
Legatorum
ad Borro-
mæum,
11. Maij
1562.

Resciuit, Cæsarem, eiusque Oratores obstinisse declarationi con-
tinuandæ Synodi, comperitque in aliquo præterea loco, semel id-
circo minitatos illos fuisse se secessuros, quod mox narrabimus;
& hinc animosius pronuntiauit, & Ferdinandum opposita polli-
citur in Germania, & Oratores ea de causa discessum Tridento
minitatos.

Animaduertit, tunc omiffam declarationem; & per audaciam,¹⁷
sed etiam per errorem inde deduxit, Aualum remissius se gessisse.

Innotuit ipsi Lansaci postulatio de prorogatione; & hinc pro-
gressus idem est, non ad credendum modò, sed ad scribendum, à
Mantuano, post petitionem Oratoris Hispanici, captam inde op-
portunitatem ad declarationem retardandam: & ignorauit, Lansaci
litteras fuisse prius acceptas & exauditas, quàm Auali petitiones
prolatas & auditas.

Parem confidentiam animosè Suavis exercuit in depingendis¹⁹
sensibus dictisque Pontificis; sed per eam semper speciem, quæ ille
deformior appareret, seu rationis defectu, seu intentionis vitio,
seu,

Historia
Concilij Tri-
dentini
Pars II.
S. IV
6

seu, cum amplius non potuit, agendi modo: quo felle quicumque oculus non luscus Suauianum atramentum ubique virere comperiet. At è contrario narrare oblitus est id quod typis editum habetur in Oratoris Gallici litteris, nimirum, Pontificem vnà cum Purpuratorum Senatu decreuisse, vt in articulo mansionis suam exerceat libertatem Synodus, admonitis solùm Patribus de ratione Sedis Apostolicæ, prout par erat, habenda. Nequit tamen dissimulare Suauis duo præualida tela, quibus Pius vti solebat apud Principum ministros, ad reuendendas insimulationes subtractæ Concilio libertatis; quamquam studeat ea rubiginosa & hebetata, quantum in ipso est, per suam narrationem proferre. Alterum erat, à quouis Principe laico, & cuiusuis in Synodo iurisdictionis experte, mandata tradi & suis Oratoribus illic degentibus, & suæ ditionis Episcopis, arctiora quàm quæ Pontifex, legitimus Concilij Princeps, mittebat ad Legatos suos, & ipsos Ecclesiasticæ ditionis Episcopos. Alterum, multò liberiores & à Pio & à suis decessoribus manus Concilio fuisse relictas ad reformanda Tribunalia Pontificia, quàm à Principibus non Ecclesiasticis ad reformanda ipsorum tribunalia in abusibus Ecclesiasticæ potestati repugnantibus. Hinc argueret vnusquisque, quis Concilio seruaret, quis adimeret libertatem.

- 20 Narrare pergit, suppeditatum fuisse subsidium à Pontifice Gallix Regi in hugonottos tumultuantes, idque ab eo effectum, quò Regem Synodo propitium redderet. Id si Pontifex intendisset, pietati profectò & laudi vertendum illi esset: sed Romani Pontifices per tot occasiones Regibus Gallix, aliisque Catholicis Principibus opitulati sunt aduersus nostræ Fidei hostes, dum nulla extaret Synodus, vt opus non fuerit Concilio tribui eam suppetiarum causam.
- 21 Sed intolerabiles præ ceteris calumniæ sunt, quas ille congerit de morum emendatione. Dicit, Pontificem obstrictum se censuisse ad aliquod illius specimen exhibendum, pro eo ac sponderat; idque ab eo confectum in Tribunali *Pœnitentiariæ*, vt vocant, *sparso rumore*, *breui quoque Cancellariam & Cameram reformandas*. Antequam progrediamur, in his postremò dictis sistamus, ex quibus persuadere sibi quispiam posset, sparsum huiusmodi rumorem, fuisse quamdam veluti cantilenam ad conciliandum soporem. Diuturnæ comitatis impensâ opus non fuit, vt verbis Pontificis fides haberetur. Mense nondum elapso prodire sanctiones, quibus & Cancellaria, & Apostolicæ Cameræ Tribunal reformabantur, itidem ac antea prodierat Romanæ Rotæ correctio: Pontificiorum di-

1562.

plomatum codex, ad breuem sed certam rei probationem legatur. Subiicit, *In emendatione Pœnitentiariæ, à cunctis expectari resse* 22 *composita ea quæ spectabant ad animarum salutem, ex quibus plurima ibi tractantur; verum de pœnitentiis, de conscientiis, ac de reliqua spiritus cultura, ne minima quidem mentio in eo diplomate facta est. Quidnam Suavis intelligebat nomine spiritus culture, reig, ad animarum salutem spectantis? Num fortè id quod in genere pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ? Nemo profectò eam præstolabatur emendationem in munere Pœnitentiariæ, per quam emendationem Pontifex vellet admouere manum iis quæ communia sunt cunctis in Orbe terrarum Confessariis, & quorum trutina & curatio spectabat ad Synodum, quæ super his multa conderat Decreta in Sessione decima-quarta, ac postea multa quoque fanciuit in Synodi processu, de quibus infra. Sed huc reuera non spectat sententia verborum Suavis, cum hæc ille subdat: *Sed solum Pœnitentiariæ sustulit facultates, quas illa exercebat in variis causis Sacerdotiorum, & in causis spectantibus ad externam Regularium disciplinam.* Videamus, an hic scriptor is sit, quem pudeat mentiri, saltem in rebus patentibus cuiusque oculos in fronte gerenti. Spectatne *ad conscientiam, & ad culturam spiritus*, quòd Simoniaci, quamuis occulti, ita non possint absolui, vt apud se retineant aut Sacerdotium, aut collectos ex eo prouentus, aut quidquam aliud è sacrilega conuentione decerptum, quin ita etiam, vt perpetuò sint inhabiles ad huiusmodi Sacerdotium? Quòd voluntarius interfecto nequeat absolutionem consequi, nisi cum ineptitudine perpetua tum ad superiorem Ordinem obtinendum, tum ad quodlibet altaris ministerium exercendum? Quòd ne in interiori quidem foro cuius fas sit retinere fructus immeritò perceptos, eò quòd ipse in Sacerdotium sese intruserit, siue quòd statuto tempore Ordines non susceperit, siue ex quocumque alio tituli defectu?*

Ad enormissimam calumniam progrediamur. Scribit, à Pontifice sublatas fuisse Pœnitentiariæ huiusmodi facultates, *nihil pronuntiantem, an id effectum esset, vt eas facultates, quæ Pœnitentiariæ auferebantur, aliis magistratibus impertiretur; an quòd ipse abusus minimè decentes, adeoq, exterminandos Româ putasset. Sed euentus ambiguitatem exemplo sustulit: eadem enim à Dataria concedebantur, ac per alias vias, maiori dumtaxat sumptu; atque hic ex emendatione fructus extitit.* Auctor hic ex eo confidentiam hausit, quòd sciret, à plerisque non legi diplomata, nec tribunalium vsus cognosci; promptamque fidem porrigi rebus, quæ fidenter narrantur, præsertim in eorum dedecus,

decus, quibus dignitas ac potentia inuidiam pariunt. Hic vnum à lectoribus postulo, vt octauam horæ partem infumant in ea Constitutione lustranda, tum de subsequuta consuetudine percontentur quemcumque hominum, mediocriter Dataria vsus expertum. Auferuntur per hoc Pontificis diploma summi Pœnitentiarj potestati, commutatio ac derogatio postremarum voluntatum; coniunctio, suppressio ac translatio Sacerdotiorum; concessio Sacerdotiorum, quæ sunt addicta familiis, & vulgo Iuspatronata vocantur, ex aliis titulis, quàm foundationis dotisque attributæ; facultas Sanctimonialibus extra Cœnobium degendi, & eadem facultas Regularibus, nisi adsit Moderatorum consensus; declaratio irritæ professionis in quibusdam peculiaribus casibus, & absque quibusdam certis probationibus ibi quæsitis; apostatarum absolutio absque iniuncta obligatione redeundi aut ad proprium ipsorum Ordinem, aut ad alium, haud minùs arctum, sublatâ eisdem ad obtinenda Sacerdotia facultate, aut ad vitam extra septa Cœnobij agendam, etiam per Moderatorum consensum; facultas suscipiendi Ordines à quouis Episcopo, sine veris ac iustis causis, ob quas illi suscipi non possint à proprio Præsule; absolutio à violata libertate, aut ab iniuste arrepta iurisdictione Ecclesiastica, absque iniuncta obligatione satisfaciendi læso. Num fortè huiusmodi concessionem facillè impetrabiles per Datariam aut per aliam viam superauerunt, adeò vt solus emendationis fructus extiterit, quòd maiori dispendio illæ obtinerentur, quemadmodum audet affirmare Suauis? Num per hæc leuiter Ecclesiasticæ disciplinæ consultum?

24 Alia sunt in eodem diplomate, & pauciora numero & pondere leuiora, quæ nec ea sunt vt fieri non possint, nec eorum aliqua, maximè ardua vt per Datariam impetrentur; qualis est facultas suscipiendi Ordines ante præscriptam à Iure Pontificio ætatem; & dilatio siue vt quis consecratur, siue vt sacros Ordines accipiat ultra spatium præscriptum Episcopis, Ecclesiarum rectoribus, & aliis prouentu Ecclesiastico dotatis; & facultas testandi alicui Religioso: sed etiam de his vnusquisque vir cordatus intelligit, quantò firmitus persistat integra disciplina, si qua lex solùm rarò ac difficulter relaxetur, & proprio ipsius Principis beneficio, qui ex potentia intrepidus, ad repullas non difficilis est, adeoque ad relaxandam legem exigit longè grauiores causas peculiaris conuenientiæ, quàm si huius ararij clauis esset penes inferiores administratos. Hi namque sapius, cum est in ipsorum manu, facillè cuilibet illud aperiant, quòd beneuolos sibi comparent; adeoque efficiunt, vt lex amplius non

1562, sit lex, cuius est vt sit norma; norma siquidem ea non est; quæ plerumque locum non habet. Exempli causâ: vnusquisque sanæ mentis perpendat; quò deueniret Ecclesiastica disciplina, si quod interdum impetratur à Pontifice, per *Datariam* liceret Confessariis in conscientia foro cōcedere: quin sanè ea pecuniæ solutio, quæ ad alicuius legis laxamentum habenda est, aut in Pontificis, aut in aliorum Principum Curia; quamuis obnoxia tot querimoniis vulgi, qui non animaduertit (cū in omni principatu necesse sit collationes imponi) nec æquiozem, nec suauiozem vllam esse, quàm quæ ipsis Principum beneficiis obtinendis imponitur: ea inquam pecuniæ solutio hac etiam de causa peculiare quoddam emolumentum confert. Etenim ipsa notabilis pecuniæ priuatio, post reliquas deuoratas difficultates, ad obtinendum diploma toleranda, legis ac disciplina valida quædam sepes est, quæ multos arcet à relaxatione quærenda. Sed hac de re penitiùs, cū de coniugiorum laxamentis agemus. Enimuerò non eiusmodi fuere prudentium virorum sensus de illa Constitutione, cuiusmodi Suauis depingit: imò Gallicus Romæ Orator, cū ad Lansacum à Tridento destinatum scriberet, eam & à singulari religionis studio profectam, & ad reformatam disciplinam admodum efficacem affirmauit; aliaque consimiles id temporis editas à Pontifice connumerauit, quibus abolitum est munus Quæstorum^b ad S. Petri Basilicam construendam, aliaque pia opera (de quo pariter ad Legatos scripsit, idque postea Concilij Decreto perfectum est, vt constabit) aded vt in posterum omnes Indulgentiæ gratis impertirentur. Similiter sublatis sunt Cardinalium regressus in renuntiationibus Insularum; idcirco ea reiecta, quæ proposita fuerat in Senatu, Farnesij Cardinalis nomine, de Spoletina Ecclesia Fuluio Vrsino concedenda. Sed mirum non est, si quæuis egregia disciplina reparatio nihili habeatur ab eo qui destructionem vellet: quæuis enim distantia vnus status ab altero, quippe finita, speciem nihili præfert, collata cum distantia inter esse & non esse, quippe infinita.

g 9. Maij
1562.

^b Ex memoratis litteris Legatorum ad Borromæum, 17. Maij 1562.